5

QUÆSTIONES IV. CARDINALES

Pro Supremâ Appollinari laureâ cônsequendâ

PROPOSITÆ

Ab Illustrissimis viris D. D. JOANNE BEZAC, & D. D. ANTONIO DEIDIER, Regis Consiliariis & Medicis, nec-non in almâ Monspeliensium Medicorum Academiâ Professoribus Regiis Illustrissimis.

Quibus accessere Assertiones, Problemata, & Paradoxa. Horum omnium veritatem, Auspice Deo, & favente virgine Dei parâ, tueri conabitur
IOANNES GEORGIUS PALTZEL
Trevir, Artium liberalium Magister, jamdudùm Medicinæ Licentiatus, ac Universitatis primus *Consiliarius, per Triduum integrum diebus mensis Septembris anni 1710.*

DISPUTANTIBUS.

Cancellario amplissimo, Decano admodùm Venerando, Professoribus Regiis Illustrissimis, Doctoribus Aggregatis Meritissimis, Doctoribus Clarissimis, Licentiatis, Consiliariis, Baccalaureis, Studiosis, & obviis quibuslibet spectatissimis viris.

IN AUGUSTISSIMO MONSPELIENSIS APPOLLINIS FANO.

QUÆSTIO I CARDINALIS.

An Catalepsi potio Cardiaca Cathartico-Emetica.

CATALEPSIS, quam Catochen alii, nonnulli Catochum appellant, Latinis Prehensio, Detensio, Congelatio, ea est sensûs omnis abolitio vel imminutio, in quâ membra motu voluntario destituta eumdem situm retinent, quem invadente affectu obtinuere, aut quem adstantes impresserint; idque pulsu, respiratione, ac deglutitione sæpiùs illæsis. In quibus fuit sensus abolitus, hi eorum quæ paroxysmi

tempore fuere tranſacta, ſunt ignariſſimi. Obſcura verò remanet tranſactorum memoria in iis, in quibus obſcurus remanſerat ſenſus. Et hinc duo gradus Catalepſeos. Prior perfectam Catalepſim conſtituit; poſterior imperfectam, non ſpuriam, cùm æquè in utrâque idem reperiatur morbi character, ſcilicet membrorum in indito ſitu detentio, nullumque in utrâque ſenſuum exercitii proferatur indicium.

Membra Catalepticis flaccida non ſunt ut Apoplecticis, Caroticis, Lethargicis, Comatoſis; nec rigida, ut Convulſis; ſed obſequioſa, ferè ut ſi ea forent cerea. Hoc nuper diligenter obſervatum in ſutore quodam, cujus curationi interfuimus. Dùm alius atque alius ipſius membris inderetur ſitus, ea minùs quidem initio percipiebantur obſequentia, ſed magis ac magis deinceps, & contractio muſculorum videbatur veluti per gradus in eo ſollicitari.

Molliri membra videres
Ducta pati flexus, geſtus retinere tributos.

Inſuper is extractus è lectulo, dubio & ancipiti greſſu, qui totius corporis ſervaret æquilibrium, incedebat ſolâ manu pertractus; dùmque ſibi permittebatur, conſiſtebat, idque in eo ſingulorum membrorum ſitu, in quo fuerat relictus. Statuam dixiſſes & firmam & mobilem, geſtuſque varios ad alienum arbitrium induentem. Per 24. horas fuit Catalepticus, reſtitutuſque tranſactorum obſcurè ac veluti per nebulam recordatus eſt. Ei pulſus fuit depreſſus, nec tamen parvus; deglutitio ſummè difficilis, inſpiratio magna & lenta; extrema frigida, reliquumque corpus ſatis temperatum. Alium perfectè Catalepticum in noſocomio vidimus.

In Catalepſi ſanguis ac proindè cæteri humores craſſi ſunt, viſcidi ac torpidi. Hoc deduco ex cauſis hujuſce morbi antecedentibus, occaſionalibus, & foventibus; nimirùm ex temperamento melancholico, mærore, triſtitiâ, ac nimio ſæpè ſtudio, aliiſque ſanguinem inpiſſantibus, quæ præceſſere & huic inſultui occaſionem præbuere. Idem evidentiſſimè declaratur ex ſummâ copia ſaburræ ſpiſſiſſimæ & ſubatræ, quæ vix Emetico, aliiſque purgationibus ſexies ante ac poſt Catalepſim in memorato ſutore celebratis egeſta eſt, tum etiam ex pulſu ejus depreſſo, magnis ſed lentis inſpirationibus, ac extremorum frigore. Hinc ſequitur ſuccum nerveum in Catalepſi ſecerni ſpiſſiorem, ipſumque tamen ſatis in partes fluere ut contractio muſcularis peragi queat, utque fluxus ejus ad inditos ab aſtantibus motus in muſculos determinari poſſit. Senſus verò in hoc affectu vel perit, vel obſcurus eſt; quod ita tenſæ ſint ac obrutæ ſuccis craſſis fibræ cerebri, ut ſingulatim vibrari nequeant ad ideas ſuſcitandas.

Dignoſcitur Catalepſis ex ſtupendo & raro illo ſymptomate, quo æger inditum membris ſitum retinet, nec ſentit aut vix ſentit.

Maximum affectus ille præ ſe fert periculum. Obruuntur enim in eo fibræ ac vaſa cerebri, fatiſcunt, & à ſanguine craſſo lentèque circulanti poſſunt tandem ità opprimi ac ſubſidere, ut ſeroſus latex extravaſetur & occumbat æger. Si tamen imperfecta fuerit Catalepſis, citòque ſuccurratur, ea poteſt debellari.

Indicatio est sanguinis massam atterere, ipsique restituere ac spiritibus pristinam fluxilitatem. Sic præcavetur ne serum per cerebri substantiam effundatur, & naturalis restituitur cerebro tonus. Indicationi verò mirificè satisfacit vinum Emeticum cum potione Cardiacâ & aliquo Cathartico mistum. Hinc enim 1°. sanguis attenuabitur fietque fluxilior ac spirituosior. 2°. Succus nerveus torpidior, factis in stomacho primisque aliis viis vellicationibus & irritationibus sollicitabitur, ut fluat liberiùs in sanguinem. 3°. Expurgabitur saburra illa crassior, quâ sanguis in hoc affectu lentescit & inviscatur. Sublato autem morbi fomite, & sanguine in pristinum motum concitato, oppressus cerebri textus restituitur, spiritus tenuiores progignuntur & agiliùs fluunt, reficiuntur prostratæ vires, anima sensum recuperat, suumque movendo corpori recipit imperium, solvitur Catalepsis.

E R G O, Catalepsi potio Cardiaca Carthartico-Emetica.

QUÆSTIO II. CARDINALIS.

Utrùm plantæ possint subministrare remedia singulis morbo-borum indicationibus accommodata.

MIxtum omne, quod jam labefactatum corpus humanum potest alterando in meliorem statum reducere, *Medicamentum* audit. Nullum ferè corpus est, cujus Homo, sanitati consulens, vires non pescrutatus sit. Hinc triplex medicamentorum *Regnum*, Minerale, Animale, Vegetabile. Nec tamen singulare satis est Minerale Regnum, aut Animale, ut singulis morborum indicationibus satisfaciat. Singulis satis esse, hoc regni Vegetabilis proprium est, modo ne desint Diætæ aut Chirurgiæ, ubi opus fuerit, subsidia. Nec fere aliundè mutuabantur Antiquiores quàm ex Plantis medicamenta sua, nec hodie mutuantur Indi. Quonam autem firmabitur argumento proposita hîc sententia? Ex solo indicationum, easque adimplentium medicamentorum, quæ Plantæ suppetunt, relatu.

Ad expellendos insidiosos succos, in quovis corpus fuerit statu, hæc erit auxiliorum ex Plantis petitorum copia, *Tamarindi*, *Cassia*, *Carthamus*, *Epithymus*, *Flores Persicorum*, *Flores Rozarum pallidarum*, *Polypodium*, *Pruna Damascena*, *Mirobolanorum species*, *Rhabarbarum*, *Rhaponticum*, *Mechoacan*, *Manna*, *Senna*, *Colluthea*, *Turpethum*, *Hermodactyli*, *Jalappa*, *Agaricum*, *Scammoneum*, *Aloës*, *Colocynthis*, *Euphorbium*, *Elaterium*, *Elleborus*, & alia quæ poteris ex Phytologiâ depromere.

Si Vomitus fuerit excitandus, varia in promptu sunt *Olea*, *Flores Genistæ*, *Raphani semen & Anethi*, *Asarum*, *Hypecacuanha* (medicamentum pro Dysenteriâ specificum) *Nicotiana*,

Vis humores crassos exsoluere & attenuare, tum & ad Diaphoresim concitare? E Plantis hæc accipe, *Salsamparillam*, *Squinam*, *Buxum*, *Contrahiervam*, *Agallochum*, *Guayacum*, *Sassafras*, *Olibanum*, *Myrrham*, *Styracem*, *Benzoinum*, *Galbanum*, *Bdellium*, *Caphuram*, *Scabiosam*, *Carduum Benedictum*; *semina quatuor calida majora*, *Anisi*, *Fæniculi*, *Carvi*, *Cumini*; *Minora*, *Ameos*, *Amomi*, *Apii*, *Dauci*; *Alia*, *Petroselini*, *Cardui benedicti*, *seseleos*, *Flores Stæchados Arabicæ*, *spicam Nardi*, *Schænantum.*

Cùm urinæ pellendæ sunt, impeditive alicujus visceris ductus reserandi, incidendæ materies quæ crassæ sunt ac torpidæ; Ecce. *Radices quinque Aperitivæ majores*, *Apii*, *Fœniculi*, *Asparagi*, *Petroselini*, *Brusci*; *Minores*, *Graminis*, *Rubiæ*, *Eringii*, *Capparis*, *Ononidis*; Ecce, *Radices Calcitrapæ* (insigne Antinephreticum) *Saxifragæ*, *Ciperi*, *Gentianæ*, *Fraxinellæ Hederæ terrestris*, *Fumariæ*, *lignum Nephriticum*, *folia dictamni Cretici*, *folia & summitates memoratarum plantarum.* Adde his, *Baccas Alkekingi*, *Juniniperi*; *Lithospermi semen*, *Balsama nativa*, *Therebintinam*, *Crocum.*

Occurruntne urinæ contrario modo eliciendæ, effrenes coercendi humores, obtundendæque partes eorum divisæ & asperæ, simulque in pacatam fluxilitatem restituendæ? Præsto sunt *Radices Nymphææ*, *Althææ*, *Fragariæ*, *Acetosæ*, *Liquiritiæ*, *Folia Lactucæ*, *Agrimoniæ*, *Herniariæ*, *Portulacæ*, *Parietariæ*, *Pinpinellæ*, *Herbæ Capillares*, *Hordeum*, *semina Lini*, & *Papaveris albi*; *semina quatuor frigida majora*, *Cucumeris*, *Cucurbitæ*, *Citrulli*, *Melonum*; *quatuor frigida minora*, *Portulacæ*, *Lactucæ*, *Endiviæ*, *Acetosæ*; ac tandem *Amigdalæ dulces.*

Num copiosè mucus excernendus, irritandaque membrana Pituitaria? Habes in promptu *Nicotianam*, *Euphorbium*, *Elleborum utrumque*, *Piper*, *Betonicam*, *Majoranam.*

Si oporteat salivam humoresque pituitosos incidere & evacuare, tunc succurrent *Mastiche*, *Pyrethrum*, *Zinziber*, *Cinnamomum*, *Salvia*, *Betonica*, *Sinapi*, *Ireos Radix*, *Nicotiana*, *Anisum*, *Majorana.*

Cùm propositum fuerit expuitionem incrassando juvare, *Liquiritiam* habes, *Altheam*, *Nympheam*, *Symphitum majus*, *Tussilaginem*, *Herbas Capillares*, *Ficus*, *Zyzyphas*, *Dactylos*, *Pistachias*, *Amigdalas dulces*, *semina frigida*, *Psyllii*, *Cotoneorum*, *Hordeum*, *Gummi Tragacant*, *Arabicum*, *Saccharata varia*, *succum Liquiritiæ*, *Altheæ*, *varias Mucilagines*, *flores violarum Nymphea*, *Maluæ.*

Idem præstare satagis sputa tenaciora incidendo? Huic usui sunt *Radices Enulæ Campanæ*, *Ireos*, *Graminis*, *Eringii*, *Marrubium album*, *Camphorata Monspeliensium*; *Hedera Terrestris*, *Erisimum*, *Hyssopus*, *Benzoinum*, *Sagapenum*, *Gummi Ammoniacum*, *Thus*, *Myrrha.*

Ubi movendi sunt menses aut Lochia, idque cùm hæc ex crassitie succorum retinentur, recurre ad *Crocum*, *Aristolochiæ species*, *oleum Guayaci*, *Essentiam Caryophillorum*, *Myrrham*, *Sabinam* aliaque superiùs tradita aperitiva.

Lac grumosum, mammis impactum, efficere fluxile indicatio est? Adhibeantur

beantur *Mentha*, *oleum Camemeli* & *Meliloti*, Lac verò ſupprimere neceſſe? *Arundinis vulgaris* utere radicibus.

Si incidendæ fuerint materies tenaces ac viſcidæ, aut flatus diſcutiendi, tibi ſe produnt *ſemina calida* ſuperiùs enumerata, *Radices Galangæ*, *Zedoariæ*, *folia Matricariæ*, *Calamenthi*, *Hyſſopi*, *Origani*, *Pulegii*, *flores Camemeli*, *Meliloti*, *ſemina Aniſi*, *Fœniculi*, *Coriandri*, *Salia Tartari*, *Abſynthii*, *Tamariſci*; His tandem adde *ſemen contrà*, tanquam egregium *Antelminticum*.

Adhibenda Febrifuga? Expertiſſima hæc ſunt, *Folia Chamædryos*, *Chamæpytios*, *Abſynthii*, *Abrotani*, *Centaurii minoris*, *Fumariæ*, *China China* (ſpecificum antifebrile) *Ceraſi ſilveſtris cortex*, *Radices Gentianæ*, *Ariſtolochiæ rotundæ*, *Salia Tamariſci*, *Abſynthii*.

Pravos ſtomachi ſuccos debellare intendis? Adde memoratis Febrifugis; *Mentham*, *Salviam*, *Thè*, *Caffé*, & *Chocolattam*.

Cùm ſpiritus recreandi, ac reficiendæ vires, *Vinum* præſtò eſt, Cardiacorum Anteſignanus; tùm quæ ab eo eliciuntur, *Aqua vitæ*, *Reginæ Hungariæ*, ipſiuſque *vini ſpiritus*. His accedunt *Eſſentiæ Cinnamomi*, *Caryophillorum*, *Aniſi*, *Florum Aurantiorum*, *Paracelſique proprietatis Elyxir*. Inſuper *Calamus Aromaticus*, *Santalorum ſpecies*, *lignum Rhodium*, *Cinnamomum*, *Caſſia lignea*, *Coſtus Arabicus*, *Macis*, *Kermes*, *Nux moſchata*, *Cubebæ*, *Piper*, *Caryophilli*; *flores cordiales* nuncupatæ, *Borraginis*, *Bugloſſi*, *Violarum*. Ac tandem *flores omnes fragantes*, ut *Aurantiorum*, *Roſæ*, *Caryophilli*, *cunctaque Aromata* ſuperiùs enunciata.

Abſorbendi pravi ſucci? Adſunt *Corallorum ſpecies*, & *Corallina*. Aſtringere juvat? His utere auxiliis, *Radicibus Tormentillæ*, *Biſtortæ*, *Symphyti Majoris*, *Rhei* & *Rhapontici uſtorum*, *Malicorio*, *Balauſtiis*, *Myrtillis*, *Roſis rubris*, *Cupreſſi pomis*, *Gallis*, *Malis Cydoniis*, *Sorbis*, *Kinorrodon*, *Sanguine draconis*, *Hypociſtide*.

Cùm opus fuerit narcôſim ſpiritibus inducere, ac compeſcere dolores, horum facultatem invenies in *Hyoſciamo*, *Napello*, *Mandragora*, *Solano*, *Nymphêâ*, *Papavere*. Iiſdemque indicationibus præſentiſſimum eſt *Opium*, & *Laudanum* hinc ortum.

Hæ præcipuæ ſunt ac generales indicationes quæ remediis internis adimplendæ veniunt, ad eas enim quaſlibet alias ſpeciales revocabis, eiſque ſatisfacies jam traditis medicamentis, aliiſve ſpecificis, quæ Botanicis nota ſunt.

Num verò deſtituetur Plantarum auxiliis Chirurgia? Neutiquam. Id apertè declarant inſignia, præſtantiſſimaque Decocta Vulneraria, Digeſtiva varia, Pulveres, Liquores Spirituoſi, quorum agmen ducit vinum ipſiuſque ſpiritus, Cataplaſmata, Balſama, Olea, Therebintinæ, ac tandem Gummi, Reſinæ, ac ſucci plantarum quibus ceu fundamento varia compinguntur Unguenta, Emplaſtra, Aliaque Topica, quæque non raro totam abſolvunt, Vulnerum, Ulcerum, Tumorumque Therapeiam, ægrumque à ſævâ Chirurgi manu vindicant.

ERGO, Plantæ ſubminiſtrare poſſunt remedia ſingulis morborum indicationibus accommodata.

QUÆSTIO III. CARDINALIS.

An Sphacelo extirpatio?

SPHACELUS est *omnimoda perfectaque partis mortificatio.* Cur? Quod nullus sit in afflictâ parte sensus, nullus motus, penitùs extinctus sit calor; quòd pars livore defædata sit, lurida sit, fœtida sit, abeat in putrilaginem, ac tabum, dirum sit partis pristinæ cadaver, cadaver perniciem intentans parti sibi proximæ, totique corpori. In Gangrænâ incipit mortificatio, in sphacelo jam est facta. Quæ causa est vitæ proxima, circuitus humorum, in parte Sphacelo correptâ cessavit penitùs. Ubi verò pars vitali orbatur irrigatione, fatali torpore languet, calor in eâ extinguitur, perit sensus, perit motus, succedit livor & fœtor, partis dissolutio, & fluens tabum. Qui enim jam in parte restagnant succi, putrescunt, ut vitium capiunt nî moveantur aquæ; fiunt acriores, corrodunt, exedunt vasa minora, dein majora, ruinam partis faciunt irreparabilem, proxima inquinant, mox ea depasturi.

Quæ Sphacelo præbent occasionem causæ, internæ sunt vel externæ. Priores, nimius liquorum ardentium usus, diuturni mærores, pertinaces vigiliæ, exercitia violenta, pulmenta speciebus acrioribus condita, morbi chronici, effœta senilis ætas, aliaque quæ intùs suscepta sensim hebetant, corrumpuntque humores, aut teneriores corporis partes rodunt ac devastant. Cùm Gangræna supervenit in propositis casibus absque causa manifestâ, hoc ideò fit quòd particulis spirituosis jam sint humores orbati, exaltatæ verò acres ac rosivæ particulæ; quòd vasa ipsa sufficienti tono destituta sint, & nequeant capillaria, utpote laxiora, promovere transitum liquidorum; hinc humorum in extremis restagnatio, corruptela, igitur & Gangræna, sphacelusque. Dubitas? Ad hæc animum adverte. Sphacelus in memoratâ sanguinis dyscrasi extrema primò invadit, extremos pedum aut etiam manuum digitos, nasi apicem. Supervenit Gangræna scarificatis partibus œdematosis. In perfectâ Paralysi fit interdùm partium mortificatio. In his exemplis certum est humores in extremis torpuisse, acriores esse factos, corrupisse vasorum capillarium texturam. Tunc humores facti sunt quædam quasi venena, cùm hausta plurima venena sic rodant, ac depascantur partes appositas, & Sphacelum inducant.

Causis externis annumera, ligaturas validas cursum sanguinis inhibentes retinentesque succos in partibus à corde remotioribus. Intensum frigus, quo in extremis corporis partibus humores congelantur, & calor extinguitur. Contusiones notabiles, quibus conteruntur partes, & humores cum contritis vasis confunduntur. Animalium venenatorum morsus, acidis enim veneni particulis humores ferè subitò in partibus morsis coagulantur. Incautiùs ad-

hibita Phlegmoni aut Eresipelati Repellentia; hæc enim æstuantium humorum motum penitùs cohibent, effusos succos retinent in parte, prohibentque difflari. Item spurcities linteorum & ponderosa decumbentis compressio non semel in ægri diù morbo detenti clunibus Gangrænam ob easdem ferè causas peperit. Sphacelus immedicabilis est, serpitque ipsius labes, quòd humores viciati vicinarum partium succos inquinent & vitient, præsertim si ea fuerit in sanguine dyscrasis ut is ad corruptelam vergat. *Ergo*

Immedicabile vulnus
Ense recidendum est, ne pars sincera trahatur.

QUÆSTIO IV. CARDINALIS.

An Partui laborioso Roborantia.

PARTUS laboriosus is vulgò est, quem comitantur labores ac cruciatus insoliti, tùm & graviora symptomata diutiùs perseverantia. Pernicies enim tunc impendet vel fœtui vel matri aut utrique. Difficilis fœtûs exclusio causa ejus est proxima. Occasionales & conjunctas ad tria capita revocamus; ad vitia matris, fœtûs, uteri partiumque circumpositarum.

Et 1°. quidem parturiens excludendo fœtui minùs par erit, si ex morbo prægresso aut præsente fractæ fuerint ei uires. Si plethorâ laboret, minùs contrahi poterunt fibræ uteri & musculares abdominis, expellendo fœtui comparatæ. Si fuerit obesior, minùs patebunt exclusionis viæ. Si solita fuerit Lipothimiâ, Syncope, Epilepsiâ, Hystericâ passione vexari, & fortè inter pariendum vexetur, deficient spiritus, prosternentur vires, partus longus fiet ac difficilis. Si renuat doloris vitandi gratiâ validè inspirare simulque abdominis musculos nisu valido contrahere. Si se non permiserit situi incommodo sibi, partui commodo; debet esse parturiens ad dolores, & cruciatus tolerandos patiens, non delicatula; peritis rerum matronis obsequens, non intractabilis, non contumax; non sibi desit, obnitatur, exclamet, vociferetur.

2°. Fœtus mole grandior, obturabit exitûs vias, non aut vix aperiet, uterum nimis distendet, quàm ut is facilè possit ad contractionem insurgere. Sæpe plures fœtus sese impediunt, ut observatum in Geminis, Tergeminisque. Non semel molæ se objecerunt fœtûs egressui. Si sese fœtus aliter quam per caput obtulerit, O partum laboriosum! Consulantur *Sennertus* ac *Mauriceau* de sitûs differentiis. Si extinctus sit fœtus, partus erit duplici titulo difficilis, & quod calcitratibus non sollicitetur uterus ad contractionem, & quod humorum cursus obtundatur per uteri textum ex contactu fœtûs frigidi, & sic torpeat & languescat uterus. Quod si jam putruerit fœtus, quanta utero totique parturientis corpori labes! Cum diù ante parturitionem disruptæ

funt Secundinæ, & aquæ diffufæ; undè viæ fatis poterunt fieri lubricæ? Ægrè quoque fit partus, quidquid in contrarium proferat Harvæus, nifi parturitionis tempore fecundinæ rumpantur, effluant aquæ, puer exeat folus, mox fequantur ejus involucra; quis non videt minùs lubricas aliter vias effe, molemque integri amnii & inclufi fœtûs nimiam? Monftrofa videtur parturitio cum priores exeunt Secundæ, puer tunc faltem eft per umbilicalem funiculum ex utero in fefe relabenti extrahendus; & quantum tunc immineat periculum fibi quifque finget. Imminet quoque periculum fi excluſo fœtu adhæreat tenaciùs utero placenta, fique obftetrix tenaciùs adhærentem placentam vi extraxerit; in priori cafu placenta computrefcet, in pofteriori difrumpentur uteri vafa. Si forrè difrumpatur poft exclufum fœtum funiculus, uterus in fe relabens forbebit Secundinas.

3°. Uteri vitio laborіosè fuccedet partus, fi uterus fuerit inflammatione, ulcere, abfceffu, Schirro, Cancro, vel hydrope tentatus, quo pacto is poterit, fic affectus, ad facilem parturionem contrahi? Item, fi anguftius fuerit ejus orificium, anguftior vaginæ ductus aut exitus, quàm ut facilè poffint fœtûs conatui cedere; hæc autem anguftia fæpe naturaliter reperitur in primiparis, in ætate provectioribus, in obæfis, & clauditur exitus in imperforatis; fed & poteft oboriri anguftia ex morbo, ut cùm vagina procidit, diftorquetur, inflammatur, laborat ulcere, abfceffu, cancro, fchirro, tumore, coalitu ex prægreffis ulceribus. Poteft quoque fœtui præcludi exitus aut coarctari à diftento induratis fæcibus recto, à calculo veficæ, à tumefactis hæmorroïdibus, à tumore vicino. Hifce caufis adjungi poteft Coccygis incurvatio nimia, nimia ipfius officulorum offifque Pubis cartilaginum durities, quam in ætate provectioribus obfervare eft.

Partum, qui ultra 24. horas protrahitur, qui atrociores invehit dolores, convulfiones, fyncopes, deliria, aliaque fymptomata graviora, laboriofum ftatue. Hujufque caufas fortuitas & occafionales diligenti Medico relinquimus rogandas, inveftigandas, expendendas.

Periculofus eft partus difficilis, ac interdùm aut matri aut fœtui aut utrique funeftus. Varius periculi gradus, intelligitur ex caufa fovente, ex gravitate fymptomatum & complicatione, ex diuturnitate parturitionis, ex matris & fœtûs viribus.

In partu laboriofo tenuis diæta inftituenda eft, clyfteres injiciendi emollientes, mox acres & irritantes. Nonnunquam ad liberandas ab infartu fibras mufculares, ut in plethorâ ac vehementi febre, vena fecanda. Interim procuranda viarum facilitas, tribuendufque, fi abfuerit, puero fitus congruens; prius perficitur propofitum emollientibus, pofterius peritæ obftetricis manu. Si conatus parturientis languefcant, fufcitanda fternutatio, fufcitandus vomitus, propinandaque potentiora Emmenagoga. Sed intentus fit præcipue medicus viribus matris ac fœtûs, quæ non poffunt in tantis rerum anguftiis non collabafcere. Reftaurabis ergo matris ac fœtûs vires, fine quibus exclufio nequit fuccedere, Roborantibus, qualia funt Aqua Theriacalis, Cinnamomi, Imperialis, Vinum generofum, Theriaca, Confectio Alkermes, Elixir proprietatis Paracelfi.

E R G O, partui laborioſo Roborantia.

ASSERTIONES.

STIRPIUM cognitio ad praxim absolutè necessaria.
Ut animalia ex Ovo, ita plantæ è semine.
Plantarum accretio non à simplici vasorum distensione.
Epiphillosperma, quale est Polypodium, florent.
Virgo concipere potest illæsâ virginitate.
In partu divelluntur ossa pubis.

PROBLEMATA.

AN genuinum assignari possit plantarum caracter.
An circuletur in plantis succus nutritius.
An Corallus sit planta.
An juniores medici senioribus sint anteferendi.
An dentur conchæ Anatiferæ.
An exempto humore Crystallino, arte visus restitui possit.

PARADOXA.

NON omnia cordis vulnera lethalia.
Pulmones aere nutriuntur.
Bruta habent animam rationalem.
Nutritio est vasorum repletio.
Apoplexia est Paralysis universalis.
Datur chylus insensibilis.

AD PER ERUDITUM

Ac clarissimum virum, dilectissimumque D. Dominum
JOANNEM-GEORGIUM PALTZEL
Trevirensem Medicinæ Licentiatum nec-non universitatis primum Consiliarium, cum ad Triduanarum Thesium propugnationem sese accingeret.

ODE.

LAUDIBUS cùm te, peramane PALTZEL
Debilis opto celebrare, Phœbus
Præcoces versus reputans canentis
Vellicat aurem.

Neve nascentes nimium citato
Laureas, inquit, remorare cursu;
Miles expecta memoranda claræ
Tempora pugnæ.
Sæpe jam victor fuit hic; peritos
Rursus at contra generosus hostes
Surget, nostris metuenda tollet
Brachia telis.
Turba doctrinam ac animos stupebit
Triduò, & phœbi venerata numen,
Gestiet claris decorare chorum
Teutona palmis.
Indè divina superare doctus
Arte supremos referet triumphos
Inde victrici redimitus ibit
Tempora lauro.
Inde festivo resonare nunquam
Desines plectro, socioque tecum
Illius musæ recinent perenni
Carmine laudes.

P *asso multa tuæ, prius & jam multa ferenti*
A *rtis amore favens quæ munera reddis apollo?*
L *anguida nunc tandem per tot certamina fient*
T *ela? manent tantos ingentia dona labores,*
Z *elo hoc supremos medicinæ tollet honores,*
E *s phœbi lauris insignis* Doctor, *avitis*
L *ætitiam reddet* Treviris, *fatumque negabit.*

PALTZELLUM *ut patriâ splendescere phœbus in urbe*
Cernet, & Heliacas spargere fronte faces,
Hem, dicet, nova lux, an me discedere mundo?
Non capiet soles unica terra duos.
Tum superum pater: alme Phanes furis? Aurea prome,
Inquiet, ora; iras discute, pone metus.
Sol eris, haud solus, Comes hoc discrimine PALTZEL,
Sit tibi, tu mundo sol eris, ille gregi.

Perpetuæ memoriæ Ergo sic amico accinuit
J. GRIVET M. D.

AD EUNDEM.

N*Ympharum numerosa cohors, jam baccare nectit*
Frondibus intortis sertum; capitiquè coronam
Victrici spondet: violæ nec amaracus absunt:
Noverunt quondam PALTZEL *per rura napeæ;*
Dum per saxa silens medicas exquireret herbas:
Quippè nihil spernit naturæ sedulus auspex.
Nunc colit & plantas, & quotquot prodiga ripis
Conchas unda vehit; requies studiique levamen,
Si quid fortè novi inveniat, vel mente sagaci
Explicet arcanum naturæ. Fortior indè
Tristia disperdet Trevirorum semina morbi.

Accinuit grati animi causâ JOSEPHUS FABRE.
Alpensis, apud Gallo-Provinciales.

MONSPELII,

Apud Honoratum Pech, Regis, Universitatis Cleri & Urbis Typographum. 1710.